PROPEMPTICA
PERILLVSTRIBVS DD. ILLVSTRISSIMI DOMINI

D. NICOLAI CHRISTOPHORI

RADZIVVIL. S. R. I. PRINCIPIS,
Niesuisij Olycæq; Ducis, Comitis à Mir
& Szydlowiec &c. &c.
Filijs,

D. IOANNI GEORGIO, D. ALBERTO,
D. CHRISTOPHORO RADZIWILIS,
cùm Brunsberga, post dietericum studiorum spacium confectum, in patriam regrederentur

A
NOBILIORIBVS QVIBVSDAM IN Collegio Brunsbergen: S. I. politioris litteraturæ studiosis, eorundem I. DD. commilitonibus officiosè dicata.

BRVNSBERGÆ,
Excudebat Georgius Schönfels.
Anno 1601

ADAL — BERTVS. RADZI VILVS.

CHRISTO — PHORVS RADZI VILVS

IOANNES — GEORGIVS. RADZI VILVS.

SIGIS — MVNDVS. RADZI VILVS.

ALEX — ANDER RADZI VILVS.

SAMVEL KONARSKY.

DVX, peregrè sacram Solymen, RADIVILE, profectus
Fis Solymæus eques, Crux tibi quina datur.
Vulnera quina, Crucemq; redux impensius ardes;
Natos en, Christi munere, quinq; tenes.

ELECVS

COMMILITONIS.

MAgnus vt Heliadũ genitor veſtigia retrò
Fectit, & Herculei terga leonis adit.
Diuo Chriſtophoro ſtata ſacra diemq; reducit,
Chriſtophoro meditor mox ego vincla meo;
Chriſtophoro RADIVILIADÆ philoteſia vincla,
Qualia Pierijs plectit Apollo modis.
Hic mihi præſtet opẽ precor; hæc at Apollo precanti
Reddidit; haud vnum, tres religaſſe iuuet.
Hæc ſtudioſa tui trias illuſtriſsima fratrum,
Poſt, dolor, hinc paucos eſt abitura dies.
Vix ea protulerat; tantis cariturus amicis
Expalleſco, gemo, mœreo, quæro diem.
Auguſti reuehent vbi vincla Petrina Calendæ,
Poſt, ait, octo dies ingredientur iter. *Dies abitus Radiuil.*
Iuſtus adhæc dolor inualuit; ſpoliauerit, inquam?
Sidere nos terno ſcilicet vna dies?
Vincula amicitiæ firmatæ, vincla Petrina
Rumpere, vel ſaltem debilitare queant?
Infelix Auguſti initus: non talis Iuli,
Aſt horum elogio lætior ortus erat.

Tyrrhus vbi, & natus, consanguineusq; Galesus,
Agnifero vati carmen agreste dabant.

Lusᵒ Eclogicᵒ in quo mentio facta Radiuilorum.

Aureolus Chryses, grauis Alcon , gratus Iolas ,
Nominibus tectis laus data cuiq; sua.
Quin paruus Stimicon, & patris ocellus Alexis,
Hîc fratrum optatum est par simul esse minus.
Gymnadis Aoniæ decus hoc nos ergo relinquet?
Destituent penitus nos RADIVILIADÆ?
Tres RADIVILIADÆ synephebis atq; Magistris,
Non secus ac radij per sola Solis , erant.
Quæ morũ grauitas, quàm magna modestia paruis
Sit,quis ijs artis, quis pietatis amor,
Non memoro,scis ipse Clari; queror illud at vnum,
Hos auferre abitu gaudia nostra suo.

Rhetores Neomystæ.

Cætui Atlantiadæ,culti Arpinatis alumnis,
Ob socios Mystas gaudia nuper erant.
Cùm Michaël Hechti pie cùm Burcharde Badachi ,
Prima litaretis sacra holocausta DEO.
Cùm prior ijs operatus erat præceptor eorum,
Seuit & ex alto cælica verba palàm.
Lætitiæ seges ampla fuit tot habere sacratos,
Numina qui placent his placeanq; , viros.

Philosophiæ cursus absolutus.

Nec minus exultant animo, frontemq; serenant
Curriculo Sophiæ qui posuêre modum.
Exantlatus ijs labor est trietericus ingens,
Palladis auxilio, nunc placet ille labor.
Curæ abiêre,manent fructus : vt arata fatigat
Tellus agricolas,at iuuat orta seges.

Perci-

Percipis hunc fructum Sophiæ, generoſe Moſalsky, *D. Lucas Felicianus Moſſalsky C. Perſtũ:*
Cui Radiuiliadum credita cura Ducum.
Cura Ducum ſed nos abeuntum magna remordet,
Militiam ſequimur quotquot, Apollo, tuam.
Laudiſonis diuos, diuũ & quibus æmula virtus
Diſcimus Heroas qui celebrare metris.
Quorum pars fuit hæc Ducis Illuſtriſsima proles *Laus Radiuilorũ.*
Maxima, lætitiæ maxima cauſſa fuit.
Sunt decus Heſperijs aurantia mala quod hortis,
Lilia Pæſtanis quod ſpecioſa iugis;
Gemma quod eſt auro, Cythereia ſtella quod aſtris;
Hæc fratrum nobis eſt generoſa trias.
Nullus in his faſtus: non murice fulget amictus, *A virtutũ indicijs.*
Non byſſo ac auro, qualibus aula tumet.
Materieſq; colorq; decens imitamine Patris.
Dux omnis luxus oſor & hoſtis hic eſt.
Prolis at in niueo micat aurea corpore virtus,
Grata fit vnde homini, grata fit vnde D E O.
Omnibus hæc ſocijs exemplar, & omnis honeſti
Inq; ſchola, inq; adytis ad pia calcar erat.
Vſq; ſacerdotis pendebat ab ore docentis,
Sarmaticoſq; bibens, Teutonicoſq; ſonos.
Vſque ſacroſanctas ſupplex orauit ad aras, *A pietatis cultu.*
Poplite nixa Deum, Myſta operante ſacris.
Nunc pia penſa precum dedit è bipatente libello;
Nunc digitis globulos ore reuoluit A V E.
Angelicas epulas non rarò accedere viſa eſt,
Emaculare animas & recreare ſuas.

Scilicet à teneris pietati aſueſcere pulchrum eſt;
Affectare animo quæ loca perpes amet.

A diligẽti litterarũ ſtudio.

Nec minus hos gnauos tua vidit, Apollo, palæſtra
In ſacra Pegaſidum, Tulliacas & opes.
Æmula ſedulitas acuebat pectora fratrum,
Arte, ſatu minimus, noluit eſſe minor.
Et certare alijs alacres, & penſa Magiſtro
Reddere, quæ memori mente recondiderant.
Siue pedeſtri acie, ſeu certaretur equeſtri;
(Huic Maro dux, illi Tullius eſſe ſolet,)
Vſq; in vtrumq; parata fuit Ducis impigra proles,
Exacuitq; ſuæ ſedulitate pigros.
Iuſſu Muſagetæ FABRIcati ex tempore verſus
Verſibus elogium ſæpe tulêre ſuis.
Sæpe voluptati ſocijs, ipſiq; Magiſtro
Horum conatus, mens & alacris erat.

Luctus ex eorum abitu.

At nunc in luctus, prô, vertitur illa voluptas:
Gymnas eorum abitu, Muſageteſq; dolent.
Paſsarides in fletum abeunt abeuntibus illis,
Et ciues mœrent, Brunori culta, tui.
Plangite Paſſarides, habitataque Brunori plange,
Tres Litaui Solis ſe retrahunt RADII,
Se retrahunt RADII quorum fulgore deinceps
Non dabitur vobis, res miſeranda, frui.
Non hos, Paſſarides, veſtram cernetis ad actam
Laxamenta animi carpere grata ſui.
Non veſtro vernos carpent in littore flores,
Nec vada conſpicient veſtra ſecare rates.

Nec

Nec vestros latices superant qui Phocidos vndam,
Qua potus potis est fundere metra, bibent.
Vestra nec inuisent posthac pulcherrima tempe,
Nec nemus iliceum pro requiete petent.
Vicinum neq; puppe fretum sulcare, nec vndis
Balthiaci cupient se recreare maris;
Nec legere electrum quod arena Neringia condit,
Cernere nec qua vult arte platessa capi.
Hinc neq; Brunoricæ plebi spectare licebit,
Hæc neq; visendi culta Lycea gregi,
Illos, te præeunte senex generose STROBITZI, D. Matth. Strobitz S. R. M. Secret.
Funera vel pompas condecorare sacras.
Plangite Passarides, habitataq; Brunori plange.
Est RADIVILORVM stirps abitura domum.
Tam subiti quæ caussa abitus? Grauis ansa manendi
Hîc datur, & studij debitus ordo monet.
Principis Eloquij Romani ijs rostra supersunt,
Gaza trigemmis ijs restat Aristotelis.
Nec Sophiæ studium sapiens neque copia fandi Philosophiæ & Eloquen. vtilitas.
Principibus poterit displicuisse viris.
Consulere in medium de rebus oportet agendis?
E sapiente animo verba diserta fluant.
E ducendæ acies, & miles in arma ciendus?
Dux sapiens lituis insonet eloquij.
Mitto facultatis sit quanta vtriusque voluptas,
Quam tres hîc fratres tunc didicisse reor,
Facundos vt honestarunt Ciceronis alumnos,
Intenti verbis quæ sonuêre graues;

Publicâ

Theses Philosoph. disput.

Publica honestarunt certamina quando Sophorum,
Sæpius harmonico percelebrata melo.
Qualia Mainerus, Michaëlinusq; peracres
Qualia Spilmannus, Borcouiusq; dabant.
Italus,& Gallus,Franco,Pomeranº,ab illis
Vltima Coruinus prælia Danus obit.
Tam citò crescentes RADIVILI, tam citò cur hinc
Maturent abitum non satis assequimur.

D.Euphemia Elisa: Wysniewviecka mater Radiuil. Fr. & sorores demortuæ.

Matris amor reuocat? sed eos EVPHEMIA ma-
Tam pia,tamque pio digna virago viro; (ter,
Bis ter ab hinc annis abiens super astra, reliquit,
Nunc vbi cum terno pignore iuncta DEO est.
NICLAVS primogeniº, CATHARINA sororq;,
CHRISTINA, auxerunt cum genitrice Duces.
Cælestes auxêre Duces, & ad æthera duci,
Exoptant reliquum tandem aliquando genus.
Conueniens habuit genitrix EVPHEMIA nomen,
Namq; sui famam liquit in orbe bonam.
Eius adhuc spirat pietas in marmore viuo,
Iesicolũ in templo, quo tumulata, Patrum.
Stat similis nixæ genibus, similisque precanti,
E cruce pendentem, supplice more, DEVM.
Ad latus hinc dextrũ trahit altũ in marmore somnũ
Filiolus, quem mors sustulit ante diem.
Filiolas geminas Euphemia Diua reseruas,
Sunt vbi virginei claustra sacrata gregis.

Tẽpla & asceteria Nesuisii fundata.

Nesuisii has ædes cum Principe, viua, marito,
Schemate mirifico struxit & arte, parens.

Terna

Terna proinde tenet ſibi pignora mater in aſtris,
Atq; domi genitor pignora terna tenet.
Pignora Brunoricis totidem ſunt credita Muſis,
Ac tibi Muſarum clare Dynaſta Clari.
Quæ cur hinc abeant cauſſam non conſpicor vllam,
Quæ cur hîc maneant plurima cauſſa ſubeſt.
Nullius caput hîc æſtiua canicula lædit, *Temperies auræ Prutenicæ.*
Officit haud ſtudijs Syrius igne ſuo.
Hic, e duræ hyemi fornax ignisq; reſiſtunt.
Noxius eſt Italis æſtus, hyemſq; plagis.
Auræ temperies hîc lenis & apta Camœnis.
Quid memorem fructus quos humus iſta creat?
Poma rubent variè Cerasuntis habentia nomen:
Melapia in malis, & melimela vigent.
Hîc Pyra Cruſtumijs æquant grauibuſq; volemis:
Pruna Damaſceno qualia ſunt in agro.
Hinc abitura tamen trias es generoſa, nec aurâ,
Pomonæ nec opes te retinere queant?
Phœbus adhæc; alibi vis maior habetur eorum:
Non Pomona capit ſed mage Pallas eos.
Pallas cui bellum ſimul & ſapientia curæ:
Pallas amare libros, Pallas & arma docet.
Geſtit & his animus, vetat aſt ætatula, iam nunc
In Sueones armis irruere atq; Gothos.
Interea dum firma viros hos fecerit ætas,
Vult Pater ingenuis artibus inuigilent.
Teutonicaſq; adeant, vbi nos dominamur, Athenâs, *Cauſſa abitus Radiu:*
Inter vt externos optima quæq; notent.

Nec tu semper in hac, vt spero, moraberis vrbe,
O Berzevvici, questibus adde modum.
Iure quidem querëris tantis orbandus amicis,
Si sic fata volunt, quid queribundus ages?
Iunge cor, adde preces abeuntibus, alite fausto
Dic vt eant memores tempus in omne tui.
Phœbe tuis monitis morem gero, flebilis inquam,
Quodq́; volunt Superi, desino plura queri.
Fausta acclamatio abeuntib⁹. Tum digressuros ad iter comitatus amicos,
Affatusq́; breui carmine, iungo manus.
Splendor, honos, ornamentum, munimen, asylum,
Musarum, patriæ, stemmatis, aræ, inopum;
Artibus, exemplis, virtute, stomomate, gaza,
Cresce, vige, flore, gratificare, Vale.

IOANNES BERZEVVIC.

MERCVRIVS

Ad Apollinem Brunoricum.

PRæses Lycei, quo viget Brunoris, aue,
Qui sim probè scis ô scientissime Lyci;
Me cult⁹ hic & sceptra sat prodere queũt.
Quid nunciatum tibi velim breuibus habe.
DVX NICOLAVS RADZIWIL, qui tibi stitit
Lyceon amplum NESVISI, pignora domum

Abs

Abs te repoſcit, grâtias tibi tot âgens
Tuiſq; Muſis, ſunt quot in nemore comæ,
Sata quot in aruis læta, quot in æthere faces,
Laboris ergò in filios poſiti ſuos,
Hîc inſtitutos ad ſui nobile decus.
Grates eorum nomine en Charites âgent;
Aures benignas, vt mihi, da bone Clari.

IACOBVS VVOZVCZYNSKY.

TRIAS CHARITVM

Gratias agit Apollini nomine trium Fratrum Radiw:

PASITHEA.

NOMINE D. IOANNIS GEORGII RADZIVIL

PHœbe, Dijs equidem, genitorib⁹ atq; Magiſtris
Pernegat æqua dari præmia poſſe Sophus.
IOANNES RADIVILIADES profitetur id ipſum:
Artibus ingenuis, te duce, cultus hic eſt.
Plurima proin tibi ſe debere tuiſq; Camœnis
Agnoſcit, grates me per agitque pares.
Seque tuum, ſine quo Reſpublica non ſtetit vlla,
Auctuгum patria ſpondet in vrbe decus.

AGLAIA.

NOMINE D. ALBERTI RADZIVIL.

NOn habet ALBERTVS RADIVIL⁹, Apollo,
Grates munifica mente tibi atq; tuis. (minores

 Tyro

Tyro fuit tuus hîc, alibi vult miles is esse,
Donec eum Mauors in pia bella vocet.
Vsque apud hunc memorem Phœbæi gratia facti,
Seu tua, seu Martis castra sequatur, erit.

EVPHROSYNE.

NOMINE D. CHRISTOPHORI RADZIVIL.

NOmine CHRISTOPHORI RADIVILI soluere grates,
Mens auet, at nequeo, quo cupit ille, modo.
Gratia non vulgaris, ait, tibi, Phœbe, sit à me;
Sed pia largifluis quam canit ara Dijs.

PAVLVS ŁACKY.

APOLLO BRVNORICVS.

GRata quidẽ Charitũ, Cylleni oratio iusta.
A me Dux genitor sua pignora iure repo-
Militiæ velut ãtè meæ cõmisit amicè. (scit
Quis genitorem illum cælo sat laudibus æquet?
Illustrem pietate virum, super vsq; Canopum
Ac Arabum terras, meritis super æthera notum.
Qui Phœbi Christiq; decus (fert omnia Christo
Phœbus, ei tripodem, pharetramq; lyramq; sacrauit:
Sicut & ablutæ Iordanis in amne Camœnæ
Se Christi famulas profitẽtur, & eius amicos,

Virgi-

Virgineã Matrem inprimis,modulantur & ornant)
Qui Phœbi Chriſtiq; decus magna auget opum vi
Vrbibus in proprijs,ſtant templa Lyceaq; teſtes,
Vſibus ac inopum ſtant ptochotrophea, trophæa,
Dite triumphato,qui multos ditat vt illos
Illaqueet ſecumq; lacunæ immergat Auerni.
Diuitias Dis in faſtus alimenra gulæq;
Ebrij & in luxus faculas impẽdere ſuadet.
Ni benè fundis opes irritamenta malorum,
Ipſæ te fundunt fundum Phlegethontis ad imum.
Ergo ſapit Dux NICLAVS RADIVILVS,in vſus
Munifica qui mente pios bona parta profundit,
Occiduis & opes opibus mercatur Olympi.
Hoc vt idem ſapiant nati, hos pietatis & artis
Deſtinat emporio mox in puerilibus annis.
Non te pœniteat ſoboles Patre Principe digna,
Non te pœniteat ſocia Pietate Camœnas
Et mea caſtra ſequi.Pietas & amabilis eſt Ars.
Vincitur à vitiis Pietate Scientia nuda;
Arte velut nudam Pietatem Inſcitia vincit.
Vtraq; iuncta vehit cultorem ad ſidera victrix:
Temnere fluxa docet, ſpectare perennia ſola.
Scitè Stilpo ſophus, duro mage dura thyite
Corda ait eſſe,animi nullum curantia cultum.
Sic,ſine crimine,finxerunt, mea cura,Poëtæ,
In ſilicem verſos homines viſo ore Meduſæ,
Ore colubrifero:quod ne Danaeius heros
Triſte malũ pateretur,in hanc, duce Pallade fertur

Auersis alis, clypei, quod læua gerebat,
Aere repercusso, formam speculatus atrocis
Gorgonis, eripuit caput ense, sopore grauatæ.
Pegasus hîc volucer de sanguine Gorgonis ortus,
Cuius vt vngula fortè ferit Parnassida rupem,
Lympidus erupit fons, vnde bibêre Camœnæ,
Vnde suos illæ recreant, vt amystide, Vates.
Non caret ingenio, nec imagine, fabula, veri.
Gorgoneum caput est rerum malesana cupido
Interiturarum, qua flexilis obstupefit mens,
Ac penitus lapidescit. Ad hoc inamabile, monstrum
Auellendum opus est mens semet vt erigat alis,
Res speculetur inocciduas, videatq; superna:
Nec sese tradat rebus, sed commodet, imis,
Donec inerma labet, Sapientia agente, Cupido.
Hinc se Fama leuat pinnis armata citatis,
Fama tegi tenebris prohibens virtutis honorem;
Dignos laude mori prohibens; cultosque Poëtas
Delicias Musarum, Oratoresq; disertos
Suscitat, autores nunquam sepelibilis æui;
Flumen vt ingenij, sermonis vt omne profundant
In laudem Sapientis & insuperabile pectus.
Ceu Patruos cecinêre tuos, RADIVILIA proles,
ALBERTVMQ. STANISLAVMQ. sacraq; tiara
Atq; pedo celebrem Tyriaq; GEORGIVM abolla.
Quos, heu, Sauromatis inuidit Regia Diuũ.
Vester adhuc superest Pater, ILLVSTRISSIMꝰ HE-
Detq; diu superesse Deus, sui vt ille canendi (ROS,
Mate-

Materiem cumulet, quæ nunc ſatis ámpla, Poetis.
Quis Maro, quis Cicero ſat erit par laudibus eius?
Quis ſatis enumeret belli paciſq; labores?
Quis patriæ ſtudium, quis Religionis amorem?
Cui non vna ſatis Solymæa profectio tanti
Principis exhibeat, ſi ſit celebranda, negotî?
Vicit iter durum Pietas, reduciq; ſuaſit
Illa Duci, ſtrueret tot amato templa Tonanti,
Tot loca ſacra pijs, tot egentibus hoſpita tecta,
Quot modò NESVISII reliquis & in vrbibus extant.
Felices nati tali Patre, ſi modò Patris
Æmula ſit Pietas vobis heroaq; Virtus.
Hæc fore quod probitatis amans ætatula ſpondet,
Ex animis quod auent, quæ vos aluêre Camœnæ.
Paucula quæ vobis abituris carmina dicunt;
Plura &, ſi ſineret dolor, approbiora daturæ.
Vos equidem iubeo, mea corcula, rite valere,
Quas humus abdit hians, lacrymis teſtatus amorẽ.
Seu vos Danubius, ſeu Rheni ripa deinceps,
Seu quicunque locus, plaga quæ vos cunque fouebit,
Eſte mei memores ô Paſſaridumq; mearum.

ALBERTVS VCHANSKY.

PASSA-

Passarides Mvsæ.

Calliope.

PAſſarici decus amnis abis, decus omne Lycei
Brunorici, ſoboles, ô mea mella, Ducis?
Vſiades patriæ repetunt vos, vſibus & nos
Nunc orbant veſtri, prô dolor. Ite quidem:
Ite mei memores: Superi comitentur euntes,
Dentq;, quot hîc docui vos ego metra, dies.

Clio.

GEſta cano; cecinit RADIVILIS Curtius ex me
Maxima Alexandri geſta: quid inde canam?
Quæ niſi mæſta canam viduata propagine terna,
Maxima qui geſsit Principis? Ite tamen.
In Patrijs tectis imitanda legetis auorum
Plurima Apellæa geſta notata manu.
Hæc veſtris cumulare decet præſignibus auſis,
Veſtra ſtet vt noſtris laus cumulata libris.

Erato.

NOmẽ amoris habens, amo vos, & amare Tonantem,
Feci, inamicitiam iungere quoſq; probos.

Triſtis

Tristis idem moneo digressu vosq; supremo,
Sit pietas cordi iugis amorq; DEI.
Nexus amicorum modò sit probitatis amantum,
Hic iuuat ac hilarat, cultus at ille beat.

Georgius Zalesky.

Thalia.

ET vireo, & virides doctis ego plecto corollas,
Vos æuo in viridi me coluisse iuuet.
Vos amaranthæis doctos decorauero sertis,
Si minus hæc placeant aurea serta dabo.
Doctrina est fuluo quouis preciosior auro,
Doctis laureolas aureolasq; parit.

Melpomene.

CAntus, vnde vocor, dulcedine vinco sorores:
Hoc abitu vestro quid nisi triste canam?
Nuper in æde, scholaq; tubis, fidibusq; triumphans
Sum portum ingressis gratificata Sophis.
Dulce decus nostri te digrediente monaulis
Nil nisi luctificos stat resonare modos.
TEMPLA triumphalis tibi Nesuisiensia cantus
Rursus, vbi fuerint ritè SACRATA, dabunt.

Terpsichore.

LÆta choris moueo affectus ac tempero quosuis.
Vos quoq; Brunorici sidera terna chori,
Vos docui affectus, Cicerone interprete, vestros
Et regere, & rectis imperitate modis,

In gyrum rationis eos qui ducere nouit,
Raptari nec ab ijs se sinit, ille sapit.

Miroslaus Konarsky.

Euterpe.

TRiste cor oblecto calamis instructa canoris,
Suauiter organicum fundo sub astra melos.
Te tamen haud retinere queã RADIVILIA proles?
Vincit amor patriæ vincit amorq; Patris.
Vade quidem ; tecum si sit symphonia morum
Conscia mens recti; pars ero magna tui.

Polyhymnia.

SI verbis de more loquar, gestuq; manuq;
Non tamen à patria vos remorabor humo.
Pro reditu solidis rationibus atq; disertis
Vos pugnaturos sat scio. Cedo libens:
Opto tamen meritis sic augescatis & annis
Gestio vt eloquio vos decorare meo.

Vrania.

SIgniferosq; globos cœliq; decemplicis astra
Metior, & speculor condoceoq; rudes.
Hæc RADIVILIA stirps puto mente reuoluis & ardes,
Verâm inibi patriam gnárá sat esse tuam.
Interea natale solum pete sidere fausto,
Hinc meritis tandem te fer in astra. Vale.

Stanislaus Bogursky.

ANGE-

ANGELVS TVTELARIS CIVIT. BRVNSBERG:

BRunoris custos ego præpes vrbis,
O DVCIS proles pia RADZIVILI,
Hinc tibi sedes Patrias petenti
Fausta peropto.
Qui tuo Patri pietate moto,
Ac reo voti, Solymen profecto,
Dux erat nostras Raphaël tibi nunc
Dux sit & idem.
Tu redux templo dabis huic in alto,
Patria quod non procul vrbe Diuis
Angelis sacrum Pater excitarat,
Vota precesq;.
Te quibus lætis reducem triumphis,
Patris Archium excipiet gemellum,
Quodq; Mirensis decus est & vrbis
NESVISIENSIS?
Te vetustatis monumenta priscæ
Quotquot Archium decorant patritum.
In tuum vultu reditum sereno,
Gaudia proment

Semper

Semper in riſum caput hîc ſolutum
Tollet ingentes tibi ſpero, riſus.
Vertet in riſum lacrymas quod vſq́;,
Flere videtúr.
XAIPE tunc proment tibi quot Camœnæ?
Grex egonorum tibi quot ſonabit,
Maximè qui te niuei è ſacrato
Fonte leuarunt?
Quos tibi amplexus Pater atq́; fratres,
Quos SIGISMVNDVS tibi præbiturus.
Quos ALEXANDER reduci ſororq́;,
Mitis ELISA.
Te diu ſeruent Superi Patremq́;
Ac tuos fratres, ſimul & ſororem
Sitis vt magno decori beatis
Arcibus olim.

Petrus Morſlin.

FINIS.